

muai et recentius antiquiori praeponendum sit. Hinc in primis ad particulares cuiusque regionis leges (1), ab vigentem disciplinam forique usum recurendum, atque inter Juris communis fontes concilio tridentino bullisque Pontificum (2) tanquam Juri novissimo deferendum est. Recentior itidem ex mediæ ævi collectionibus alias præcedit, nec ad tempus, quo singula capita edita sunt, attendi debet, cum, in collectionem recepta, eodem omnia quo ipsa publici Juris facta est tempore, statuta credenda sint. Cæterum videndum semper est an locus de quo quæritur revera generalem patiatur extensionem, secus enim temporis ac circumstan-tiarum, in quibus editus est, ratio haberi debet, quod in plurimis ex extravagantibus locum habet. Quod si ejusdem collectionis capita sibi invicem contradicunt, interpretatione conciliari debent, si salva verborum proprietate, et ratione recti sermonis commodè id fieri potest, ac dubia tantum ipsorum pugna est. Si vero certa sit pugna atque ea, ut nulla modo conciliari possint, posterior priori decisioni derogat. Præterea Jus canonicum romano Juri civili ante ferendum est, si sibi invicem contradicunt, quamvis hodiecum in illis quæ ad res ecclesiasticas pertinent, raro admodum de hac inter utrumque pugna sermo instituatur (3).

CAPUT QUINTUM.

DE PRINCIPIIS JURIS ECCLESIASTICI.

Sub titulo prænuntiato disserere volumus de quibusdam maximè necessariis, ut illorum igno natione non obscuritate vel errore mens alumnorum laboret cum plurima utriusque, Juri communia, vel canonici propria sibi dilucidanda proponata. Hæc vero principia respiciunt.

(1) Particulares cuiusque regionis leges ecclesiasticae maximè ex conciliorum decretis eruendas sunt, quæ in collectionibus quæ tum pro conciliis generatim, tum pro diversis regionibus adnotatae sunt. Concilia collegerunt Jacobus Merlinius [Perisiis. a. 1524, II vol. fol.]; Petrus Crabbe [Colon. a. 1583, II vol. fol. et 1551, III vol. fol.]; Laurentius Surius [Coloniæ 1567, V vol. fol., et Venet. 1585, V vol. fol.]; Sever. Binus [Colon. 1606, V vol. fol., et Paris. 1638, IX vol. fol.]; Jacob Sirmondius Romæ 1608, IV vol. fol.); et magna collectio a typographia regia Parisiis in XXXV vol., anno 1644 edita. Comodiores usui sunt sequentes: Sacrosancta concilia exacta a Ph. Labbæo et Gabbr. Cossartio cum duobus apparatusis Par. 1671-72, XVII (XVIII) vol. fol.; Acta conciliorum et epistolæ decretales ac constitutiones rom. pont. (cor. Joh. Hardouin), Par. 1715, XI (XII) vol. fol.; Sacrosancta concilia ad regiam editionem exacta, curante N. Coleti. Ven. 1728-34, XXIII (XXV) vol. fol. et Joh. Dom. Mansi supplementum ad collectionem conciliorum. Luc. 1748-52, VI vol. fol. Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio ed. Joann. Dom. Mansi. Flor. 1759-67, tom. I-XIII; Venet. 1769-98, tom. XIV-XXXI vol. fol. Collectiones pro particularibus regionibus evulgatae sunt sub titulis: Concilia Germaniarum quorum collectionem Joh. Fr. Schannat primum edidit, contin. Jos. Hartzheim, Herm. Schollius, Acg. Neissen, indic. digessit Joss. Hesselmann. Colon. 1749-90, XI vol. fol.—Concilia antiqua Galliarum stud. Jac. Sirmondi. Par. 1629, V vol. fol., eorumdem supplementum, ed. P. de la Lande. Par. 1666. I vol. fol.; concilia novissima Galliae ed. Lud. Odespurn, conciliorum Galliarum tam editorum quam ineditorum collectio stud. congr. S. Maur., tom. I, Par. 1789, vol. fol. (Plura non apparuerunt).—Collectio maxima conciliorum omnium Hispaniarum et novi orbis ed. Jos. Saenz de Aguirre. Rom. 1993, IX vol. fol., cum adnot. Sylvan. Pueyo. Matt. 1781, fol.—Concilia Magnæ Britanniæ et Hiberniarum, ed. Dav. Wilkins, Lond. 1737, IV vol. fol.—Car. Peterffy concilia Ecclesiæ rom. catholicae in regno Hungariae celebrata. Pars I, Vien. 1642 fol., pars II. Poson. 1742, fol.

(2) Pertinet huc Giraldi opus, superius citatum, in quo ad singulos decretalium titulos adnotat ea tridentini concilia capita, aut RR. PP. constitutiones quibus Jus antiquum mutatum est.

(3) Confer de hac re Schmalzgruber Jus can. univ. diss. proempt. § XI.

PROLEGOMENA.

1. Ad religionem et disciplinas sacras generatim spectatas.
2. Ad fundamenta Juris ecclesiastici etiam in genere perspecta.
3. Ad auctoritatem divinam seu ecclesiasticam.
4. Ad traditiones.
5. Ad consuetudines.
6. Ad promulgationem legum ecclesiasticarum.
7. Ad regulas Juris.

De quibus totidem articulis agemus quorum 1. 2. 3. et 4 de Zallinger 5.^o et 7.^o de Lequeux 6.^o de Selvagio desumptos habuimus. ☺

ARTICULUS PRIMUS.

DE RELIGIONE ET DISCIPLINIS SACRIS, QUARUM IN NUMERO EST
JURISPRUDENTIA SACRA.

I.

Sacri canones, quorum principia exponere hoc libello aggredior, nequaquam ut inventa profanae politices, aut tanquam naturalia humanae rationis præscripta spectari debent. Christus enim, qui est sapientia Patris, ministris suis in regenda Ecclesia, se ad futurum usque ad saecula consummationem promisit, ac missum a Patre Spiritum, qui cum ipsis in æternum maneat, eosdemque doceat omnem veritatem. Hinc apostoli in concilio hierosolymitano: "Visum est, inquietant, Spiritui sancto, et nobis" (Act. XV, 28); ac universè legitimis synodis, in quibus aut conditi canones, aut promulgati maximè sunt, Spiritum sanctum adesse, antiquitas christiana censuit eleganterque explicavit Cœlestinus papa I, in epistola 18, an. 431, ad synodum ephesinam data: "Spiritus sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum" (Constant. in epist. rr. pp. col. 1155). Unde ad omnes canones ratione quadam pertinet id, quod de nicenæ scripsit Leo p. I: "Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos esse (1)." Ex divina ergo religione promanat canonum disciplina, et ad divinam religionem tota refertur.

II. Religio, ex qua canonum disciplina manat, sumitur 1. *subjectivæ*, uti in homine tanquam subjecto inest, et nunc denotat *actus* ad Dei cultum, et sempiternam hominis salutem spectantes, nunc *habitum* istiusmodi actus ritè constanterque obeundi. 2. *Objectivæ*, aliarum disciplinarum more; estque complexio veritatum theoreticarum, et regularum practicarum ad cultum Dei et hominum salutem pertinentium. Ejusmodi complexio apto ordine digesta nuncupatur disciplina aut *facultas sacra*, generatim *theologia*. Partes illæ, in quas hodie facultas sacra seu theologia dispescitur, uti variis locis propositæ sunt in divinis Scripturis; ita sine stabili ordine et pro re nata exponebantur a sanctis Ecclesiæ patribus, aliisque scriptoribus ecclesiasticis, in synodis item Episcoporum, aut in constitutionibus romanorum Pontificum. Primorum enim saeculorum patres et scriptores non systematis, et disciplinæ formam, sed instructionem et sanctificationem populi fidelis, atque errorum confutationem spectabant. Enim vero si præclara volumina antiquorum Ecclesiæ doctorum tum græcorum, ceu Athanasii, Gregorii, Na-

(1) Can. 5, XXV, q. 2, ex epist. S. Leonis XIV, c. 2, edit. Ballerini. col. 687

zianzeni, Basilii et Chrysostomi sumas in manus, tum latinorum, nempè Gregorii magni, Ambrossi, Augustini et Hieronymi; in scriptis eorumdem nunc admiraberis profundissimos theologos, nunc sapientissimos canonum doctores et præceptores morum. Idem, qui fidei dogmata quodam tempore explicarunt, et vindicarunt contra hæreticos, alio tempore ecclesiastica jura tractarunt, in synodis congregati canones condiderunt; secundum canones causas cognoverunt, litigantibus Jus dixerunt, reos citarunt, audierunt, condemnarunt; quomodo contra contumaces procedendum sit statuerunt, quæque sunt alia infinita generis istius.

III. Contingit frequenti dogmatum ac fidei divinae expositione, et interpretatione Scripturarum ac hæresum confutatione, dein canonum multitudine ac diversitate, quam ratio temporum et incrementa ecclesiarum et cleri frequentia poscebant, ut cumulus expositionum theoreticarum fidei, præceptorum quoque et canonum mirificè augeretur. Ea res segregationem, ac veluti divisionem bonorum, quæ antea communia erant, peperit, et facultatem sacram seu theologiam scindere in partes coegit, atque uni quidem attributæ veritates theoreticæ, ceu dogmatum expositio ac defensio, aliis præcepta morum et canones, quanquam nulli fines adeò stabiles fuerint designati, ut non altera disciplina in alterius veluti fundum sèpè invaderet, ipso veritatum rerumque nexus impellente, aliquandò etiam ob imperitiam aut emulationem tractantium; accedit quod eadem doctrina non uno spectari modo queat; nunc enim tanquam ex divina revelatione profluens refertur ad dogmata fidei, alio modo ad gubernationem Ecclesiae, et jura hierarchica, alio denique ad internum conscientiæ forum, actionisque bonitatem vel malitiam. Quoniam verò indè a sæculo XII, doctores scholastici cum expositione dogmatum venerandum theologorum nomen sibi retinuerunt, usu venit non raro, ut sibi solis fas esse opinentur, sanctuarium ingredi, utque doctores canonum velut in numero hominum profanorum habeant, de quorum doctrina non ex canonum institutis, sed ex præconceptis scholæ sue opinionibus judicent; quasi jurisprudentia sacra non eosdem ac dogmatica theologia haberet fontes, divinarum nempè Scripturarum, traditionum, conciliorum, constitutionum pontificiarum, sanctorumque Ecclesiae patrum: ob quam causam eadem meritò *theologia rectrix*, aut *practica* nuncupatur (1), et utriusque doctores a SS. concilio Tridentino serè exæquati sunt (2). Sed hæc quidem haud ægrè dissimulari possunt; *quid enim?* dicemus cum S. Paulo, qui et ipse insigniter peritus Juris romani, et non paucorum conditor canonum fuit: "Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur" (Philip. VI, 18). Illud multò acerbius malum invexit ætas nostra, ut homines, rationum theologicarum prorsus expertes, quibus sèpenumero laete opus est, non solidi cibo, res canonicas sibi tractandas sumant, et gravissimas divinæ fidei veritates de sacra hierarchia ejusque origine, de primatu vicarii Christi, de Juribus Episcoporum, de sacramentis, et matrimonio imprimis non tanquam expositas et demonstratas in theologia dogmatica pro certis lemmatis habent, sed ipsi examinent easdem tractentque, de rebus Ecclesiae ex libris hostium Ecclesiae disserentes, quorum errores, et captiunculas prorsus ignorant.

IV. A religione, cujus notionem, et disciplinam adhuc exposui, *Ecclesia* differt, uti concretum ab abstracto, vel corpus animatum ab anima. Est enim Ecclesia

(1) Bætius ep. de Jure sacro l. I, c. II, n. 190. Alvarus Pelagius de planetu Ecclesiae l. 2, art. 20.

(2) Sess. 22, c. II, de ref. sess. 23, c. XVIII, de ref. sess. 24, c. XII, de ref.

cœtus hominum religionem colentium; at enim uti descriptiones individuorum rerumque existentium arbitriae non sunt, ita neque notio Ecclesiae, quæ una, unica et individua est, pro arbitrio statui potest, sed per notas divinitùs inditas exhiberi dicique debet cœtus hominum unius fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum, atque imprimitis summi in terris Christi vicarii romani Pontificis.

V. Ad rectam Ecclesiae gubernationem maximè comparata est jurisprudentia sacra vel ecclesiastica; non enim attingam partes alias theologiæ variis nominis, cuiusmodi sunt positiva, scripturistica, dogmatica, polemica, scholastica, moralis et pastoralis, quarum professores sèpè finium regendorum agere solent (1). Disciplina canonum ante alias theologiæ partes in sistema quoddam videtur redacta; id quod ostendunt collectiones canonum chronologico primum, tum etiam systematico ordine digestæ, certisque titulis insignitæ. Quod si canones conciliorum tum generalium, tum particularium, decreta item summorum Pontificum indubitate ac velut Jure quodam proprietatis ad Jus sacrum pertinent, vix aliquod actionis, virtutis vitiique genus excogitari poterit, de quo in sacris canonibus nihil definitum omnino sit. Habet dein canonica disciplina non modo uberrimos fontes totidem quot dogmatica theologia, sed præterea Jure civili romano, constitutionibus principum ac concordatis inter sedem apostolicam, variasque nationes initis adjuvatur. His non obstantibus figendi sunt quoque modo limites, quibus disciplina nostra a theologia dogmatica et morali distinguitur. Ac in primis quæ in Jure ecclesiastico publico de Ecclesia, de divina institutione ac transmissione potestatis hierarchicæ, de juribus summi Pontificis et Episcoporum variis gradus, eorumque jurium objectis pertractantur, ea in hac disciplina non tanquam objectum credendorum, sed tanquam regula agendorum spectantur per quam pax et recta gubernatio Ecclesiae, publicaque fidei ac morum puritas atque integritas in populo fideli firmatur. Dein verò non consideramus in hac disciplina singulos fideles more theologiæ moralis, sed tum universam rempublicam christianam, tum singulos relatè ad communilitatem ecclesiasticam, cujus membra sunt, cujus imperio et foro subjacent; ut eorum tranquillitas et bonum spirituale contra iniquos invasores et perturbatores in foro maximè externo vindicetur (2).

VI. De definitione *Juris* incredibile dictu est, quam varie copiosè scribant non ii tantum qui de quadam universæ jurisprudentiæ parte, ceu de naturali, privata vel publica, de ecclesiastica, de civili, quique de Institutis et Pandectis Justiniani commentantur, verum etiam theologi qui in hanc materiam sèpè irrumpunt. Ac in primis inquirunt in derivationes vocum *juris*, *justi*, *justitiae*; dividunt, definunt aliter atque aliter. At enim, quia verba gignunt verba, quæ ipsa quoque definiri possunt, nullus erit definiendi finis, nullum principium certum, nisi idea

(1) De diversis theologiæ partibus Conf. apparatum ad theologiam et Jus can. X, c. Zaccariae part. 2, seu c. XV.

(2) Hæc mirificè illustrantur ex ipso præmio Decretalium, sive ex epistola, quam Gregorius P. IX preficit compilationi sue, qua in foro et scholis utimur. "Rex pacificus, inquit, pia miseratione disposuit sibi subditos, fore pudicos, pacificos et modestos. Sed effrenata cupiditas, paci æmula, mater litium, materia jurgiorum tot quotidie nocua litigia generat, ut nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret et quæstiones ipsius implicitas explicaret, Jus humani foris litigiorum abusus extingueret, et dato libello repudii, concordia extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub Juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honestè vivat, alterum non lædat, Jus suum unicuique tribuat, informatur."

simplex et primigenia indicetur, quæ in alias simpliciores resolvi nequeat. Dico igitur, una expressa idea simplici, et una complexa, unaque animadversione addita, totum hunc laborem absolvit posse. Idea facultatis moralis et obligationis moralis *simplex* est: idea plurium facultatum et obligationum certo ordine digestarum, *complexa* est: ne *facultas* moralis agendi quidpiam, vel omittendi cum *licentia actionis* confundatur, *animadversione* dignum est.

VII. Idea facultatis, potentiae, impotentiae vel necessitatis *in genere physico* certè simplex est, et cuivis nota sensu intimo; quæ alii atque aliis verbis fortassis explicari potest, ut tamen diversis verbis nec diversa idea, nec clarior, magisque distincta ingeratur, quam antea suppetebat. Quivis enim novit, quid sit *in genere physico*, posse mouere manum, lapidem; posse attentionem ad rem quamdam advertere; non posse mouere montem de loco suo; non posse dissimulare pudorem repente excitatum. Hoc igitur modo etiam simplex videtur idea facultatis seu potentiae, obligationis seu impotentiae, aut necessitatis *in genere morum*: nam quod hominibus, qui ratione utuntur, insint regulæ de honesto et turpi, de recto aut prævo, de justo et injusto, quamecumque originem aut vim illæ habeant, æquè certum est, ac quod in iisdem, si sanis utantur sensibus, soleisque ac lunam aspicerint, insit idea solis ac lunæ. Hinc sanè norunt homines quid possint facere per ejusmodi regulas, et quid sit, posse facere in genere morum: quid non possint facere, vel non possint omittere; et quid sit hoc, non posse omittere, seu facere debere in genere morum (1). Facultas moralis strictè *Juris* nomine exprimitur, ac denotat tum qualitatem *passivam* moralem, seu habilitatem aliquid recipiendi vel acquirendi, e. g. ut possit eligi in prælatum, institui in testamento, etc.; tum qualitatem *actiram* moralem quidpiam agendi, e. g. contrahendi matrimonium, alienandi res suas. Sæpè tamen *Juris* vocabulo tum facultates, tum obligationes designamus, dicimusque passim: *Hoc Juris est, hoc Jure utimur*, tum quando de mera facultate, tum quando de vera obligatione sermo est. Illud jam ex ipsis ideis cuivis perspicuum est, ex Jure strictè sumpto, seu facultate, non inferri obligationem; contra ex obligatione Jus strictè sumptum seu facultatem, uti in genere physico ex possibili non infertur necessarium, at ex necessario possibile.

VIII. *Complexa idea Juris* est, quando hoc vocabulo denotamus conjunctio nem seu complexionem plurium facultatum moralium plurimumque obligationum ex eodem fonte manantium, vel ad idem subjectum, idem objectum, vel eundem finem pertinentium. Si ejusmodi complexio recto ordine digesta est, *systema Juris* dicitur. Sic dicimus Jus naturale, positivum, sacrum, profanum, etc., non utique unam facultatem moralem, aut obligationem unicam cogitantes. Hoc quidem modo jus, seu scientiam *Juris*, vel (quia ad actiones referunt tota) jurisprudentiam, spectamus *objectivè*, ut alias disciplinas. Subjectivè autem dicitur habitus jura seu leges rectè interpretandi, applicandique ad propositas species. Ad hanc notionem complexam referenda est divisio *Juris*, quæ sic videtur concinnè statuit posse: 1. est Jus divinum, vel humanum; 2. divinum aut naturale aut positivum;

(1) Hæc impotentia moralis seu obligatio expressa est l. 15. D. de condit. Institutionum; ibid. "Quæ facta ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum." Circa facultates et obligationes tanquam circa cardines versatur universa jurium disciplina, et sub iis notionibus considerat humanas actiones. Ad easdem recipiunt analogicæ expressiones, in Jus vocare, Jus dicere, etc.

3. naturale quadruplex, privatum, sociale generale, publicum et gentium; 4. Jus divinum positivum tum veteris, tum novi Testamenti; 5. Jus humanum sacrum vel profanum; 6. Utrumque publicum tum universale, tum particolare; 7. utrumque privatum, tum commune, tum speciale.

IX. Ideæ *Juris* simplici et complexæ addenda nunc est animadversio, ne idea facultatis moralis aut *Juris* strictè sumpti cum *licentia actionis* confundatur. Ad licentiam enim præter Jus seu facultatem moralem agendi præterea requiritur honestus finis agenti propositus, atque ut absint circumstantiæ, quæ actum vitiant. Universæ regulæ *Juris* distinguendæ sunt a regulis complectæ moralitatis, honestatis, prudentiæ, politices, decoris, utilitatis. Jus enim seu facultas moralis intelligitur, dum ei respondere concipitur obligatio aliorum aut *negativa*, ceu non impediendi usum *Juris* seu facultatis moralis, aut *positiva*, quidpiam præstandi ei qui Jure suo utitur.

X. Ex dictis patet jam definitio *Juris canonici*: est enim sistema *Juris* sacri, nempè ad Dei cultum, Ecclesiæ gubernationem et sempiternam hominum salutem pertinentis; sive est Jus positivum quod ex verbo divino et regulis Patrum de rebus ad Dei cultum et religionem pertinentibus a Summis Pontificibus Ecclesiæ catholicæ traditum, constitutum vel approbatum fuit ad rectam fidei morumque inter christianos constitutionem. Ex quibus verbis ejusdem *Juris* causa efficiens, formalis et finalis, itemque ejus objectum haud ægre intelligitur; cur item appelletur *sacrum*, ecclesiasticum, pontificium, canonicum, imò divinum; *studium*, inquit pontifex, *Juris divini et humani, canonici videlicet et civilis* (1).

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIIS JURIS ECCLESIASTICI PHILOSOPHICE PERPENSIS.

XI.

Principium in philosophia dicitur id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur; ut adeò triplicis generis sint principia, nempè *essentialia*, *existentialia* et *cognitionis*. Singula applicanda nunc sunt ad *Jus ecclesiasticum*.

XII. *Principia essentialia* vocantur, quæ rem ipsam intrinsecùs constituent, ceu

(1) C. 3. de privileg. in 6. Auctor principiorum *Juris* publ. eccl. in introductione ait: *Jus ecclesiasticum* est regula justè ac piè vivendi christiano præscripta. "Sed hæc notio in theologiam quoque moralē cadit. Ac nescio utrum vox regula secundum receptam vulgo notiōnem habeat eam vim, quam *Jus*, obligatio et lex sacra exprimit, de qua dictum est a Christo: "Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; quidquid ligaveris, solveris in terris, erit ligatum, solutum in cœlis." Certè regula etiam referunt ad consilia perfectionis et studium ascensos. Anceps verò, atque adeò maligna est ejusdem auctoris annotatio loco eodem: "Cætera, quæ crumenæ, pompe, dominatiū in clero populoque christiano favent, *Juris ecclesiastici* appellatione haud dignor." Quasi verò totum id, quod in *Jure canonico*, quodque in tot conciliis et Pontificis constitutionibus de redditibus beneficiorum et bonis ecclesiasticis, quod de majoritate et obedientia, quod de hierarchica potestate ac præsertim de divino primatu disseritur, et constitutur, id crumenæ, pompe ac dominatiū favent, neque in disciplina canonica omnino retractari deberet. Imò maxima pars eorum quæ ab Ecclesia constituta sunt ac constituuntur, non omnes omnino Christi fideles sed clerus respiciunt, uti ex sola titulorum in corpore *Juris* appetat.

noteæ partiales essentiam rei cuiusvis, materia ac forma compositum. Non ago de singulis legibus, quarum essentia seu definitio Jure P. U. præmissa est (1), et ad titulum de constitutionibus reccurrit. Jus totum canonicum, uti quævis scientia. ex plurimis legibus ac decisionibus tanquam ex partibus et ex materia compositum est, quæ *capitula vel canones* vocantur; ea capitula certò ordine digesta sunt, et ad certos titulos relata; tituli in libros quinque distributi. Vides materiam et formam.... Porrò materia seu ipsa capitula sunt efflata sacræ Scripturæ utriusque Testamenti, sunt definitiones vel observantiæ Ecclesiæ, sunt canones conciliorum universalium et particularium, sunt decreta romanorum Pontificum, sunt venerabilium Patrum sententiae, sunt constitutiones principum ab Ecclesia in canones assumptæ, seu ut aiunt, canonizatæ, aliaque id genus, ex quibus tanquam partibus seu principiis internis Jus canonicum, ejusque volumen velut compositum quoddam artificiale coagmentatum est. Concordata nationum cum sede apostolica ad Jus canonicum commune non pertinent, nisi quatenus imperator romanorum defensionem universæ Ecclesiæ catholice promittit. Nullam verò Juris nostri partem efficiunt transactio passaviensis, pax religiosa et westphalica, etsi in foro externo observandæ sint. Scriptores quidam catholici imprudenter protestantes hac etiam in re excubunt. Multò rectius V. C. Zech. in præcognitis tit. XIX, ubi de illa pace agit, eam inter *contraria* refert, quibus rectus et liber usus Juris canonici impeditur.

XIII. *Principia existentia* sunt, per quæ contingens aliquid et mutabile habet existentiam. Ac quæri potest de *singulis* legibus, juribus, obligationibus, unde proveniant, a Deo ut auctore naturæ vel collatore gratiæ, an a legislatore quodam humano. Si generatim de Jure canonico quæritur, ejus auctor, et legislator primarius est Jesus Christus, qui ad apostolos dixit: "Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes, ergo docete omnes gentes, baptizantes eos docentes, eos servare omnia quæcumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Math. ult.)" Prout autem Jus canonicum in hodiernam formam reductum consideratur, *causa efficiens* illius sunt Pontifices, quorum auctoritas in ferendis legibus petenda est ex potestate apostolis, præsertim S. Petro a Christo concessa, atque ex institutione Christi et usu Ecclesiæ universè ab apostolorum temporibus ad nostram usque ætatem transmissa. A pontificibus igitur hoc Jus partim *traditum est*, nempè ex veteri traditione, ceu canonica Scripturæ opuscula patrum, regulæ apostolicæ, partim *constitutum* tum in synodis una cum aliis Episcopis, tum extra concilia per decreta Pontificum; partim denique *approbatum* confirmatumque, uti sunt concilia quædam particularia, compilations Decretalium.

XIV. *Principia cognoscendi* in Jure dicuntur illa ex quibus decisio casuum et quæstionum particularium derivatur, suntque eadem sere ac principia intrinseca, quæ § XII enumeravi, quæque fontes Juris ecclesiastici vocantur, unde argumentationis ope ad conclusiones descendit, ac sæpè ex pluribus, imò ex omnibus ejusmodi fontibus de proposita quæstione aut specie facti disputari solet, ceu de usuris, de duello, de simonia, de tolerantia hæresum; quid nempè de his quæstionibus Jure naturali quid divino positivo, quid ex canonibus conciliorum, decretis Pontificiis, sententiis Patrum, constitutionibus principum, existimandum sit. Maximi verò momenti et velut præjudicialis quæstio est, quinam sint genuini fontes,

(1) L. III, § CCLV, p. 618, conf. jus c. priv. § XXI, p. 50.

qui proprii loci, quæ recta principia, ex quibus datæ controversiæ particularis definitio pendeat (1).

XV. Qui Jus naturale ejusque diversas partes tractant, *principii* nomine ferè denotant propositionem quamdam generalem, quæ *notiones directrices* ad explicanda præcipua ejus disciplinæ capita in se continet. Si istud ad Juris ecclesiastici disciplinam applicandum est, rectè generalis instar principii sic statuendum est: "De Jure sacro ejusque partibus singulis convenienter divinæ fidei dissere." Ac divino sanè consilio factum arbitror, ut primo mox capitulo tituli primi ac libri primi Decretalium hæc in ipso principio ponerentur symboli verba: Firmiter credimus, et simpliciter confitemur. Quia nempè *in firma fide*, et *simplici fidei confessione* omne principium jurisprudentie canonicae situm est; quemadmodum mox ostensurus sum, illud priùs cogita, quam firmitatem fides habeat; eam nempe quam expressit Dei Filius: "Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt (Matth. XXIV, 35);" eam, quam Apostolus Filii Dei significavit: "Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit (2)." Dein edic quæ sit fidei simplex confessio? Ea, quam exegit Dominus ac magister noster: "Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædictate super tecta (Matth. X, 27);" et alio loco: "Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum (Luc. IX, 26);" ea, quam fecit Apostolus: "Non erubesco Evangelium," et iterum: "Non sumus, sicut plurimi adulterantes Verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, in Christo loquimur (Rom. I, 15, et II Cor. II, 17)." Atque hoc est: *Simpliciter confitemur*, nihil addentes, nihil detrahentes hominum gratia, nihil placendi studio, nihil displicendi metu; bono animo, certo consilio, studio veritatis, Christi amore, æternæ salutis desiderio, Ecclesiæ emolumento. Adeò autem simplex hæc fidei confessio esse debet, ut nemini neutrarum partium esse liceat. Christus enim ait: "Qui non est mecum contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit (Luc. XVII, 23)."

XVI. Fide cognoscimus Christum; fide cognoscimus Ecclesiam Christi. In

(1) E. g. utrum ex veteri Testamento de hierarchia et sacramentis novæ legis argumentum duci queat? ex Jure civili rom. an ex canonico de impedimentis matrimonii disseri debeat? Jus commune an speciale concordatorum consuli debeat? sola ratione humana, cui omnia tribuantur a nonnullis, an conciliorum canonibus, pontificum decretis, sententiis Patrum nitendum sit? verumne sit, iura R.R. pontificum magnam partem ex spuriis decretalibus Isidori promulgassem? si lis testamentaria oriatur, ex Jure canonico, an civili decidi debeat? de juribus et prærogativis principum imperii romano-germanici an recte disseratur ex codice justiniane? rectè semper provocetur ad canones primorum Ecclesiæ seculorum? quandū de valore aut dissolutione matrimonii, aut de transitu ad novas nuptias agitur, quo Jure, canonico, casareo vel civili romano lis dirimenda sit? sunt alia istius generis propè infinita. Universe quæri potest, si de divina religione agitur, quibus doctoribus auscultandum sit? Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Rom. X, 25.

(2) Gal. I, 8, 9, in quæ verba eleganter commentatur S. Vincentius lirinensis adversus hæreses. c. 12, 13 et 14, ubi ita concludit: "Quæ cum ita sint, estne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Ecclesiam annuntiatum est, annuntiet, vel tanta levitatis, qui præter id quod ab Ecclesia accepit, accipiat? clamet, et repetendo clamet, et omnibus et semper et ubiqui per litteras suas clamet ille vas electionis, ille magister gentium, ille apostolica tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conscientia, ut, si quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur, et contra reclamant ranæ quædam, et cyniphæ, et muscæ morituræ, etc.

"Scripturis," inquit S. Augustinus (Epist. 166), didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam." Et alio loco: "Obscurius dixerunt prophetæ de Christo, quam de Ecclesia: puto propterea, quia videbant in Spiritu, contra Ecclesiam "homines facturos esse particulas, et de Christo non tantam litem habituros (1)." Si igitur fide cognoscimus Christum et Ecclesiam, pariter cognoscimus sponsam Christi, possessionem et hæreditatem Christi, et "regnum ejus, quod non corrumpetur (Daniel. VII, 14)." Qui igitur Ecclesia causam agit, reipsa Christi causam agit, ea que defendit ab injuriis hominum improborum, et Christi hæreditatem vindicat ab impietibus hominum injustorum, et Christi regnum tuetur ab invasionibus hominum impiorum. Multum ergo afficio hac cogitatione, itemque illud adjicere apud me soleo, esse Ecclesiam sponsam Christi unicam ac perpetuam; cuius is perpetuitatis certissimum pignus ac signum singulare instituit in matrimonio, quod diebus propè singulis celebratur: "Sacramentum hoc magnum est in Christo et in Ecclesia (Ephes. V. 32)." Dein verò sèpè irascor iis, qui sponsam Christi modis omnibus calumniantur et despectui habent, nec in ea conspicere se putant, nisi maculas et rugas.

XVII. Fide novimus Dei Filium hominem factum et cum in terris versaretur, cœlestem sapientiam docuisse nos, penitus oppositam humanis cupiditatibus, mundi illecebris, dæmonum instigationibus, rectumque ordinem constituisse actionum, laborumque, quibus occupari homo debeat in hac vita: *Quærite primum regnum Dei inquieti, et justitiam ejus et hæc omnia* (quibus ad vitæ sustentationem egemus) *adjicientur vobis* (Math. VI, 33). Similiter fide novimus eumdem, cum discederet ex hoc mundo, divinum Spiritum suis appromississe: "Ego, aiebat ro-gabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobis in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere (Joan. 16, 17)." A divino hoc Spiritu, quem mundus etiam hodie non potest accipere, profluxere illa Apostoli Christi verba: "Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.... Hoc itaque dico, fratres; tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui stent, tanquam non stantes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (2)." Similiter cœlesti hac sapientia imbutus, apostolorum princeps nos monet. *Fratres, magis satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (II Petr. I, 10). Ex his sanè fidei principiis judicandum est de omni causa religionis, contentioneque illius cum felicitate caduca; de pietatis operibus, de observatione jejuniorum, de pœnitentiis et remissionibus, de cœlibatu et vita ac honestate clericorum, de statu regularium, de voto, de periculis peccati, quibus tot sacri canones saluberrimè et instar aggeris oppositi sunt: undè satis intelligi puto jurisprudentiam canoniam divina fide maximè, tanquam primo et generali principio, niti. Porrò hanc beatam fidem ac basim jurisprudentiae nostræ miserandum in modum apud plurimos scriptores ætatis nostre deficere, ipsi, quos in dies producunt, libri manifestum faciunt, quos perlustranti mihi illius ironiaæ qua Siracides usus est, in mentem venire solet: Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia, et cum muliere de ea quæ æmulatur: cum

(1) In psalm. 30, conc. 2, in illa verba: "Qui videbant me foras fugerunt a me."

(2) Gal. V, 24. I Cor. VII, 29. I Cor. II, 14. I Cor. III, 9.

timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum in honesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione. Non attendas his in omni consilio; sed cum viro sancto assiduus esto (Eccl. XXXVII, 12, seq.)

XVIII. Denique ut generali ejusdem divinæ fidei doctrina concludamus hunc locum, fide divina novimus necesse esse ante Christi tribunal nos omnes adstare, reddentes rationem in primis ipsius fidei, ut inquit Tertullianus, de prescriptibibus adversus hæreticos (c. 43): "Quid ergo dicent, qui illam stupraverint adulterio thæretico, virginem traditam a Christo? Credo, allegabunt nihil unquam sibi ab alio vel ab apostolis ejus de stœvis et perversis doctrinis futuris prænuntiatum?—Quasi nec hoc scriptum sit venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis" (Ibid)? Opinione sua, rationeque se deceptos causabuntur? Atqui habebant Ecclesiam, quam Dominus supra montem maximè conspicuum ædificavit, cujus vocem audire jussit: habebant exempla virorum gravissimorum totius retrò antiquitatis, omnes errores, scissionesque quibus dilaceratur corpus Christi, eane pejus et angue abominantium; nec ignorare poterat Christi regnum, non autem rationis aut philosophiæ regnum, quod cœco fastu jactitant, vaticinatos fuisse priscos prophetas Dei. Benevolentia et bonitate se confisos fuisse dicent? Atqui non ea est divina bonitas, quæ errores, schismata, flagitia foveat, sed quæ ab errore ad veritatem, a dissensionibus ad unitatem, a tenebris ad lucem traducere velit homines, si Evangelio obedient. Sunt tamen hoc ævo novi scilicet benevolentiae divinæ præcones qui non illud inclamat: *Convertimini a viis vestris pessimis.... Facite fructus dignos pœnitentiae;* sed qui contra Ecclesiæ Christi universæque antiquitatis sensum, contra suam ipsorum professionem, ingeniolo suo definiunt, quid de hominibus divine fidei expertibus, id est quid de abscessis aridisque lignis statuere possit, debeatque divina justitia. "Sed firma fundatum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus, et discedat ab iniuitate omnis qui nominat nomen Domini (II, Tim. II 19)." Sit igitur in omni tractatione religionis, qualis certè est jurisprudentia canonica, principium immotum ac primum divina fides: ab hac omnem derivemus sapientiam nostram, et respuamus terrenam, quæ stultitia est coram Deo: in hac sita sit fortitudo et magnanimitas nostra, si per gratiam divini Spiritus veritati affixi, et supra firmam petram inædificati nullis concutiamur inferorum statibus; huic fidei subjectum esse una censeatur libertas nostra ac felicitas, nisi forte liberam ac felicem dixeris navem quæ sine gubernatore et anchora agitatur a fluctibus, et felicem oviculam, quæ sine pastore per avia et invia oberrat, et felicem viatorem, qui sine duce, viæ ignarus in tenebris palpat, et felicem domum quæ supra arenam ædificata est (1).

(1) Passim hodie deplorari temporum pravitatem et profligatos mores et collapsam integratem, prostratum pudorem, oppressam justitiam, erumpentem quaquaversus temeritatem, et violentiam omnes novimus. His calamitatibus mederi homines quidam per instillatas ethicas seu ethnicas doctrinas, et novas institutionum formas student, qui mihi videntur aërem verberare, nisi torpem fidem exuscitari, eamque tum ab apertis injuris, tum ab occultis sectariorum machinationibus vindicare ac defendi current. Hæc sit victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, inquit, S. Joannes epist. I, c. V, v. 3. Fides nostra, non ethica nostra est, quæ vincere debet novum, quod hoc ævo erupit, genus christianismi politici, Evangelii philosophici, et religionis profanae, quæ homines cœci prudentiam carnis cum spiritu, mundum cum Evangelio, Belial cum Christo, tenebras cum luce, conciliare nituntur, scepticismum substituentes fidei, et occul-